Hume. With 2 Jeux d'Esprits by Lord Hailes; with MS Corrections in his hand writing.

J A Maconochie

(22 loose sheets)

1838



J. A. Maconochie.

McGILL
UNIVER-
SITY
LIBRARY

DAVIDIS HUMEI, SCOTI,

SUMMI APUD SUOS PHILOSOPHI,

DE VITA SUA ACTA,

LIBER SINGULARIS;

NUNC PRIMÙM LATINÈ REDDITUS.

By Sir David Dalrymple. Lord Hailes.

[library stamp]

MDCCLXXXVII.

UNIVERSITY · LIBRARY

DAVIDIS HUMEI

DE VITA SUA ACTA

LIBER.

ARduum eſt de ſemet ipſo prolixius quenquam loqui, ita ut abſit arrogantia, ideoque brevis ero; fortaſſis etiam arrogans videar, quòd commentarium de rebus ad me pertinentibus ſcribendum ſuſceperim. At narratio mea nihil ferè in ſe habebit, præter meorum ſcriptorum hiſtoriam, quippe qui omnem propè ætatem in literis excolendis tranſegerim. Scripta mea, de pleriſque intelligi volo, ubi primò vulgata, minimè eo plauſu accepta ſunt quo valdè gloriari poſſem.

Natus ſum Edinburgi Scotorum vi. Calend. Maii, A. C. N. MDCCXI. generoſis parentibus. Pater originem duxit ab ea fa- 1711.
milia cujus princeps Comes *Homeus* ſive *Humeus*, et majores, a multis retrò annis, ea ipſa prædia ruſtica tenuerunt quæ frater nunc tenet. Matrem habui filiam Davidis Falconeri, Equitis, qui Collegio litium civilium judicandarum præfuerat, primus inter Scotiæ Quindecimviros. Avunculo meo *Dominium de Halkerton* jure hæreditario obvenit.

Cùm verò filius familias minor natu eſſem, oriundus patre non admodùm nummato, portionem legitimam, ut moris eſt apud nos, perquàm exilem ſortitus ſum. Deceſſit pater, quem aiunt virum fuiſſe cordatum, me adhuc puerulo, meque cum fratre primogenito et ſorore unica uxoris tutelæ tradidit, matronæ optimè meritæ, quæ, licet decora atque ætate florens, tota fuit in alendis educandiſque liberis. Inſtitutionum juvenilium curſum, ut adſolet, laudatè ſatis confeci. Me tantus ab ipſa uſque pueri-

399631

tia literarum amor corripuit, ut is ſemper eſſet præcipuus animi mei affectus, cæterarum cupiditatum domitor, et fons oblectamentorum meorum omnium. Eâ eram legendi aviditate, eâ animi moderatione, eâ diligentiâ, ut propinqui me a natura comparatum ad munia juriſconſulti obeunda ſibi perſuaderent. Atqui voluntas mea a ſtudiis quibuſcunque præter philoſophiam et variam eruditionem omninò abhorrebat; et dum ii credebant me Voetio Vinnioque, juris civilis doctoribus, operam dediſſe, ego Ciceronis ac Virgilii ſcripta mecum devorabam.

Huic tamen vitæ inſtituto res familiaris mea quàm exigua minimè ſufficiebat, et cùm ipſe, fractus aliquatenus ſtudiis, parùm firmâ uterer valetudine, pellectus, vel, ut rectius loquar, coactus fui, ut, vitâ umbratili egreſſus, negotia capeſſerem. Res langui-
1734. dius ſuſcepta infelicem habuit exitum. Nam anno MDCCXXXIV. mercatoribus nonnullis inſignioribus commendatus, Briſtolium inviſi, ſed, paucorum menſium intervallo, didici mercaturam rem eſſe a meis moribus alieniſſimam. Itaque in Galliam tranſii, eo animo, ut rure agens ſtudiis liberius vacarem; atque ibi eæ vivendi rationes ſuſceptæ, quibus conſtanter ac feliciter uſque adhuc uſus ſum. Statui enim parcimoniâ fortunas emendare, et ut mei juris prorſus eſſem, cavere, cæteris rebus omnibus poſthabitis ac ſpretis, præter ingenii culturam *.

In receſſu Gallico, primùm Rhemis, mox Flexiæ in Andegavenſi provincia, opus *de Natura Humana* compoſui. Triennio apud
1737. Gallos jucundiſſimè acto, Londinum migravi MDCCXXXVII. et anno exeunte, librum meum edidi, et protenus in Scotiam me contuli, viſurus fratrem, in re familiari augendâ prudenter ac proſperè occupatum, et matrem, quæ cum eo unâ rure degebat.

* "Except the improvement of my *talents* in literature." Reſpicit auctor, et piè quidem, ad Evangelium D. Matthæi, c. xxv. v. 15. 16. 20. 21. ubi agitur de ſervo bono heri ſui præceptis obſequenti.

Prodiit

Prodiit liber *de Natura Humana* infaustissimis ominibus, quippe

"E prelo exanimis cecidit *."

Nec ulla prodeunti adfuit celebritas, et ne minima quidem *Zelotarum* † obmurmuratio. Eâ quanquam calamitate perculsus, mox tamen ad me redii, utpote quem natura hilari animo finxerat atque erecto, et dum rusticabar, studiis impensius incubui.

Anno MDCCXLII. Edinburgi priorem partem *Speciminum* ‡ meorum excudendam curavi, cùmque opus arrideret, illicò veni in oblivionem repulsæ literariæ olim acceptæ. Interea rure apud meos moratus, sermonis Græci peritiam mihi paravi, ineunte ætate inconsultiùs intermissam. 1742.

Anno MDCCXLV. Annandiæ Marchio me, literis missis, ad convictum suum in Anglia vocavit ‖. Intellexi porrò propinquos juvenis illius nobilis id agere, ut ei, qui nec mente nec corpore satis valebat, me custodem simul ac gubernatorem præstarem. Per annum integrum cum eo vixi. Merces, ob hujusmodi operam navatam, accepta incrementum attulit non modicum rei meæ angustæ. Proinde Jacobus de Sancto Claro militum dux me invitavit ut ei essem ab epistolis: præfuit quidem ille copiis ad Canadiam subigendam comparatis, quæ tamen, mutato demùm consilio, non nisi in Galliæ oras maritimas incursionem fecerunt. 1745.

Proximo anno MDCCXLVII. idem dux, cùm legatus mitteretur Teresiæ Austriacæ et Sardiniæ Regi, hortatus est, ut ad se et ad officia rediens, eum in itinere comitarer. Parui libenter, paluda- 1747.

* "It fell *dead-born from the press.*"

† Sunt in Anglia plurimæ hominum religiosorum familiæ, neque satis constat quinam fuerint *Zelotæ isti*, quorum odia venabatur vir Cl.

‡ *Essays*, a Petr. Dan. Huetio *Specimina* appellantur; rectius forsitan *Experimenta*.

‖ Constans fama est juvenem illum infelicem historiam rerum a se gestarum, quæ tamen nullæ fuerunt, (*Memorias* Galli vocant), contexuisse, consiliis Humei nostri, si Diis placet, in opere expoliendo usurum.

mentum

mentum indui, et *adjutoris castrensis** ementito nomine, in aulas regias introductus veni coram principibus, unà cum Henrico Erskineo, Equite, et Jacobo Granto, Centurione, qui nunc legionem ducit †. Biennium hoc, quod nunquam aliàs mihi accidit, de literis demptum est: id tamen suaviter traduxi inter homines elegantiores versatus. Cùm frugi essem ac parcus, præmium pro muneribus gestis acceptum me eò usque ditaverat, ut, subridentibus licet amicis plerisque, me pecuniosum esse prædicarem, ac meo deinceps more victurum; ut verbo dicam, divitiarum mearum summa ferè ad mille libras redibat.

Equidem semper in animum induxeram libro *de Natura Humana* malè cessisse, quòd, ut creberrimè fit, immaturiùs ac imprudentiùs me in scriptorum numerum referri voluissem, quòdque modo et formâ potius quàm re ipsâ errassem: proinde priorem partem istius operis ad incudem revocavi, et ut *Disquisitio de Intellectu Humano* audiret, volui. Prodiit hæc opella me adhuc peregrè agente et Augustæ Taurinorum commorante. Sed non multo melius cum ea actum quàm cum libro *de Natura Humana*. Ab Italia reversus comperi, acerbo meo dolore, omnem Angliam fervere controversiis *de Disquisitione Libera* Middletoni ‡ ortis. Jacebat interea meum opus, neglectum planè ac prætermissum; neque multo melius successit editioni alteri *Speciminum* sive *Sermonum de Moribus et de Politia* tunc temporis Londini vulgatæ.

Mira certè vis indolis, quæ continuò effecit, ut, spe licet toties
1749. frustratus, vix minimam molestiam sentirem. Anno MDCCXLIX. Scotiam petii, et biennium egi cum fratre in prædio suo, matre jam e vivis abreptâ. Ibi alteram partem *Speciminum* meorum contexui, *Sermonum Politicorum* ‖ titulo insignitam, additâ etiam *de*

* *Aid de camp.* † *Major-General.*

‡ " A Free Inquiry into the Miraculous Powers," &c. Auctor, Coniers Middletonus, *Sacrosanctæ Theologiæ Professor.*

‖ " Political Discourses."

Principiis

Principiis Ethicorum Diſquiſitione *. Quæ portio quoque eſt operis illius quod refeceram. Inter hæc ab Andrea Millaro bibliopolâ, cujus miniſteriis utebar, certior factus fui, ſcripta mea omnia, præter infelicem illum tractatum †, jam eſſe in ore hominum, exemplaria, aucto ſenſim numero, diſtrahi, et iterandas editiones flagitari. Tunc demùm cujuſcunque ordinis ſacerdotes argumentis meis occurrere, et a viris *reverendis* pariter atque *admodùm reverendis*, quotannis, neque ſemel tantùm, *reſponſa* publicari ; cumque D. Warburtonus convitiis me inceſſeret, intellexi probè, libros meos, apud cœtus elegantiores, gratiâ aliquâ valere. Ego tamen mecum ſtatueram, et ſemper in propoſito ſuſceptoque conſilio permanſi, " nulli hominum unquam reponere," cùmque iraſci celerior non eſſem, me facilè a turbis iſtis literariis immunem ſervavi. Hiſce indiciis creſcentis mihi famæ me conſolabar ; is enim mihi animus erat, ut, ſemper ominatus benè, meliorem in partem cuncta interpretarer, quo ſi quis præditus fuerit ingenio, vivet rectius utique ac felicius quàm ſi illi vectigal annuum, quod decem mille librarum exæquaret, hereditate obveniſſet.

Anno MDCCLI. e rure in urbem migravi, in ſcenam ſcilicet 1751.
viro erudito aptiſſimam.

Anno MDCCLII. publici juris facti ſunt Edinburgi, ubi dege- 1752.
bam, *Sermones* mei *Politici*, unicum de ſcriptis meis quod a primo probè ecceptum ; placuit enim domi foriſque. Eodem etiam anno, prodiit Londini *de Principiis Ethicorum Diſquiſitio*, quæ, meo quidam judicio, (quod tamen de ſcriptis meis nullum eſt), omnia mea, tam ad Hiſtoriam quàm ad Philoſophiam et rem literariam ſpectantia, longiſſimè antecellit. Prodiit opus nullâ prorſus obſervantiâ.

* " Inquiry concerning the Principles of Morals."

† De libro ſuo *natu maximo* agit vir Cl. cujus funeri, tantâ doloris acerbitate, toties parentavit, ut in eo Naturam *Philoſophiæ victricem*, pœne dixeris. Aliàs tamen, quod notatu dignum, paulò faſtidioſius ait, " opus illud in ipſa juventa exaratum, et " *ab auctore nunquam agnitum*." Ad Specim. *Præfat.*

1752. Anno MDCCLII. Collegium Jurisperitorum, quod Edinburgi est, me bibliothecæ suæ præfectum designavit. Munus id, quanquam minimè quæstuosum, amplâ tamen librorum copiâ ūti frui permisit. Tum primùm initum de Historia Angliæ contexenda consilium: sed absterrebat operis immanis magnitudo, cùm res gestæ per annos mille et septingentos, idque serie continuâ, enarrandæ essent. Itaque orsus sum ab illis temporibus, quibus *Domus Stuartiadum* imperii apud Anglos potita est, unde præcipuè, ut mihi videbatur, historici, vel odio vel amore partium, veritatem obumbrare cœperant. Non diffiteor equidem me de libri mei fortunis magnificentius auguratum; putabam enim me solum eum esse Historicum, qui neque auctoritati principum virorum conciliandæ, neque rebus propriis promovendis studerem, et qui inveteratas hominum sententias, quæque ex inscitia rerum oriuntur, oblatrantes populi voces omnino nihili facerem. Et cùm esset operis argumentum lectoris cujuscunque ingenio accommodatum, favorem iis meritis responsurum præstolabar. Verùm

1754. me meæ spes miserè fefellerunt. Quippe in me excitata est una vox reprehendentium et calumniantium, nec deerant qui etiam abominarentur. Jam Angli, insuper Scoti et Hiberni etiam, jam magnarum ac diversarum factionum homines *, et qui templa, more patrio, frequentabant, et qui conventicula, religiosi ut et de sacris liberius sentientes, viri populares simul atque purpurati, omnes denique, exacerbatis animis, impetus fecerunt in illum devotum homuncionem, qui eâ fuit audaciâ, ut casus Staffordiæ

* "*Whig* and *Tory*." Vocabula hæc, modò ignominiosa, modò in honore habita, Latinè reddi vix possunt. Est qui, factionum Circensium memor, homines hujusmodi *Prasinos* appellaret et *Venetos*; id tamen, in re seria, ludicrum nimis: est qui *Moderatos* et *Rigidos*; sed malè; nam ex historiis constat, *Moderatos* nonnunquam bacchāri, *Rigidos* verò mollescere. Quod si ad Græcos fontes recurreres, qui plenius canaliculis Romanis scaturiunt, propriè satis dixeris *Philodemos* et *Philotyrannos*, at longè diversâ notione quàm apud Anglos *favourers of the Mob* efferuntur, et *favourers of a tyrant*.

Comitis,

Comitis, et Caroli, Britannorum Regis, honeſtis lacrymis proſequeretur. At, quod vehementius angebat, inſaniâ illâ paulatim defervefcente, ipſe liber oblivioni conſignandus videbatur; nam, monitus a bibliopola, didici exemplaria non ultra quadraginta et quinque * per annum integrum fuiſſe diſtracta. Et revera intellexi vix unum eſſe aut alterum, per inſulas Britannicas, virum ordine vel eruditione conſpicuum, qui *Hiſtoriam* meam ferret †. Excipiam modò, quod quidem non vulgare, Thomam Herringum Angliæ Primatem, et Georgium Stoneum ejuſdem dignitatis apud Hibernos, antiſtites eximios; quorum uterque mihi in mandatis dedit ut bono animo eſſem.

Sed, ut verum fatear, fui aliquantùm animo fracto et demiſſo, et niſi quòd bellum Gallos inter et Britannos mox exarſurum videretur, patriæ haud dubiè ſupremùm valedixiſſem, et me, *tranſnominatum* etiam, in neſcio quam urbem obſcuriorem Galliæ recepiſſem. Verùm cùm his conſiliis non amplius eſſet locus, et alterum volumen meum ad umbilicum procederet, animos reſumere ſtatui et ſcribendo perdurare.

Dùm hæc gerebantur, emiſi, Londini, *Hiſtoriam Religionis Naturalem* ‡, additis quibuſdam aliis opuſculis. Prodiit liber in

* Numerus is apud Anglos fatalis. De eo tamen bibliopolam cogitaſſe, vix eſt ut crederem.

† Ego, qui iis temporibus interfueram, harum tragœdiarum non memini; at rem ita geſtam audivi: Gavinus Hamiltonus, bibliopola Edinburgenſis, vir bonus ſi quis alius, voluminis iſtius omnia exemplaria ab auctore coemerat, pretio 400 librarum Anglicanarum numerato, ſuo commodo ſibi pollicitus ſe ſingulatim venditurum. Londinum it, merces venales proponit; ſed aliter viſum bibliopolis Londinenſibus, quibus extrudere non potuit. Quid faceret Hamiltonus, æger animi, et ſine ulla expectatione rerum meliorum? Uni alicui ex numero *bibliopolarum*, quos *Sapientes* Warburtonus vocat, exemplaria *per averſionem*, ut jureconſulti loquuntur, vendidit, quibus tandem coemptis, nomen operi venit, ſuus auctori honos additus, et ampliatum alterius voluminis pretium.

‡ *Natural Hiſtory of Religion.*

publicum

publicum nullâ ferè celebritate, nisi quod ei Ricardus Hurdus libellum opposuit, eâ petulantiâ illiberali, eo fastu, et eâ denique scurrilitate, quæ *scholæ Warburtonianæ* genuina *. Libellus iste mihi aliquid allevamenti attulit, cùm aliàs opus meum non admodùm placeret.

1756. Anno MDCCLVI. biennio exacto post infaustum voluminis prioris occasum, prodiit alterum a mortuo Carolo Primo usque ad res per Gulielmum Nassovium mutatas. Illud, forte fortunâ, *Philodemis*, quos dicunt, minus displicuit, ideoque benignius acceptum. Emersit enim, et secum unâ fratrem suum infelicem e profundo extulit.

At ego, quamvis usu didiceram *Philodemos* solos valere, et esse qui, tam in re publica, quàm literaria, omnia possiderent, conferrent, largirentur; nolui tamen, ne tantillùm quidem, hujusmodi hominum insulso clamori cedere. Hinc factum est, ut cùm opus retractarem, et, vel libris accuratius pervolutandis, vel exquisitiore studio et meditatione melius edoctus, plurima in *Stuartiadum Historia* emendanda deprehenderem, ea omnia, ad centesimum usque numerum, ex sententia *Philotyrannorum* correxerim. Ante illa tempora, extitisse unquam apud Anglos civitatem liberam, et legibus bene constitutam, id sanè dictu ridiculum est.

1759. Anno MDCCLIX. exiit *Tudorum Historia*. Protinus idem ferè

* Falsus est vir eximius; ego rem totam paucis dabo. Warburtonus *Historiam Religionis Naturalem*, opus non magnæ molis, perlegerat, expectans, ut ipse jocatus est, *Terræmotuum Historiam moralem* brevi prodituram, cùmque nescio quì, in illo opere sibi visus fuisset nonnulla deprehendisse homini religenti, ne dicam Christiano, parùm convenientia, statim, ut erat animi præceps, animadversiones quasdam extemporales ad oram codicis sui annotaverat. Eas, ne interirent, exscripsit Hurdus, nunc magno Ecclesiæ Anglicanæ commodo præsul Vigorniensis, et nomen dissimulans, prælo commisit. Quòque res lateret melius, titulum *Epistolæ ad Warburtonum* suppositum præmisit, et pauca quædam in Warburtoni laudes addidit. Id nescivit Humeus; si scivisset, gloriæ suæ omninò appositurus.

excitus

excitus clamor, qui volumini primo oblatraverat, præcipuè quoad res ab Elisabetha Regina gestas. Verùm enimverò me insulsitas publica, callo mihi demùm obducto, non amplius movebat. Ipse interim, tranquillo et æquo animo vitam agens, Edinburgi delitescebam, et unicè curans, ut manus extrema accederet *Historiæ rerum in Anglia per vetustiora tempora gestarum*, quam, duobus itidem voluminibus explicatam, anno MDCCLXI, publici juris feci. 1761.
Inde aliqua, quamquam satis parca, famæ meæ accessio facta est.

Etsi scripta mea, variis hisce tempestatibus obnoxia, ventos interdum idoneos, mox adversos, experta fuerint; cursum tamen suum tenēre non destiterunt. Nam pretium mihi a redemptoribus librariis numeratum * ante hæc tempora inauditum, ut jam non modò mei omnino juris essem, sed opibus largè affluerem. In Scotiam meam me recepi, eo animo ut nunquam inde dimoverer. Ideo mihi unicè placebam, quòd neminem ex optimatibus, aut supplicaturus aut amicitiæ colendæ causâ, salutavissem; cùmque annos quinquaginta haberem, constituebam me eo protenus vivendi genere usurum quod Philosophum maximè deceret.

Verùm, anno MDCCLXIII, Hertfordiensis Comes, ad Galliæ 1763.
Regem orator designatus, ne minimùm quidem mihi notus, me, ut sui gregis essem, humaniter hortatus est; additâ etiam spe non mediocri me ipso scribæ munere in legatione obeunda brevì fruiturum, susceptis interea muneris istius officiis. Conditiones oblatas, licet arriderent, primò rejeci; abhorrebam enim animo a nova aliqua cum Magnis consuetudine; inerat porrò suspicio, ne aulæ Gallicæ urbanitas et festivæ vivendi rationes ingenio meo atque ætati minus convenirent; at, cùm instaret vir amplissimus, ei morem gessi. Equidem, si vel oblectamenta spectes vel lucrum, ego, multis nominibus, de me præclarè actum puto, quòd

* "*Copy-money*." q. d. pecunia ad acquirendum librorum manu scriptorum dominium persoluta.

officia primùm Hertfordienſi Comiti, deinde fratri ejus, Henrico Conwayo, ductori militum, me commendatum dederint.

Quo ritu Pariſiis ab omnibus ex omni ordine et ſexu fuerim exceptus, id ſanè nemo facile conjecturâ aſſequi poterit, niſi qui vim portentoſam conſuetudinis morumque * exploratam et probè cognitam habuerit. Quo magis ab iſta comitate ſuaviſſima me ſubtraherem, inſtare illa magis et ingraveſcere. Et revera jucundiſſimè vivitur Pariſiis, neque enim alibi uſquam locorum tot viros tam ſubacti judicii deprehendas, tantæ eruditionis ſimul atque urbanitatis. Idque in cauſa aliquando erat, ut ſedem ibi rerum atque fortunarum mearum ponere deſtinârem.

Scribæ titulo ad legationem adminiſtrandam cohoneſtatus ſum;
1765. cùmque ſub æſtate anni MDCCLXV, Hertfordienſis Comes, Vicarius regis in Hiberniam proficiſceretur, me Pariſiis poſt ſe reliquit, rebus gerendis invigilaturum †, donec Richmondiæ Dux, orator ſuffectus, adveniſſet. Advenit porrò is vergente anno; ego verò,
1766. anno MDCCLXVI ineunte, Pariſiis valedixi, et æſtate ſubſequente Edinburgum me contuli, non alio, quàm olim, animo, ut me ſcilicet in receſſu meo, Philoſophi ad ritum, conderem. Eo redii non quidem *ſorte* opulentior, ſed ex amicitia Hertfordienſis Comitis ‡, majore vi pecuniæ, et *aucto reditu* beatior. Jam experiri ſtatui quid poſſent uſuræ legitimæ in rebus ſupervacaneis augendis, ſicut antea expertus fueram in re modica.

1767. Atqui, anno MDCCLXVII, Henricus Conwayus me evocavit, ut comitem me ſibi ab Epiſtolis Regiis, ſecundo loco, adjungerem, et ea ſanè erat hominis exiſtimatio, eæ utique cum Hertfordienſi Comite neceſſitudines meæ, ut vocatus ultrò adfuerim.

* "The ſtrange effects of modes." Quod quidem Latinè reddi vix poteſt.

† *Chargè des affaires.*

‡ Rectius, " ex beneficentia Georgii III. Britannorum Regis." Nam Humeum noſtrum ab Hertfordienſi Comite mercedem annuam acceptam retuliſſe non memini.

Anno

Anno demùm MDCCLXIX, Edinburgum redii, locuples planè et pecuniosus, quippe reditus annui ad summam mille librarum excurrebant, et cùm prosperâ valetudine uterer, ætate quanquam provectior, spes erat me longo otio et augescente indies scriptorum meorum gloriâ fruiturum. 1769.

Vere MDCCLXXV intestina subitò doluerunt. Morbus iste primò levis videbatur, qui sonticus postea evasit, et, meo quidem judicio, exitialis futurus. Jam mortem, naturæ dissolutionem, opperior. Levia quidem a morbo perpessus sum, et, quod magis mireris, corpore licet attenuato et debili, tamen ne minimùm quidem alacri esse et læto animo destiti, ideoque si in vitæ curriculo rursus versari liceret, ferè est ut opiner hoc spatium inter ægritudines confectum me præ cæteris amplexurum. Idem enim qui unquam fuit legendi et meditandi ardor, eadem in familiarium coetibus hilaritas. Neque non mecum reputo mortem homini quintum et sexagesimum annum agenti non nisi paucos annos, eosque graves et ingratos, præcidere; et quamvis indicia plurima exstarent, fore ut fama mea literis parta, aucto tandem splendore, enitesceret, benè tamen novi eâ me non ultra perpaucos annos gavisurum—vix est ut alterum invenias vivendi curâ atque studio expeditiorem. 1775.

Restat denique, ut, more historico, mei Elogium adjiciam. *Sum*, vel, ut aptius dicam, *fui*, (nam eâ ratione sermo componendus est, cùm de me, quasi jamdudum mortuo, loquuturus sim, eamque ob causam quod sentiam liberius eloquar), *fui* itaque mitis ingenii et mihi imperiosus, animo aperto, festivo, comi; qui amicum me facilè præstarem, inimicum vix unquam: inerat quoque singularis quædam affectuum omnium moderatio. Ea ipsa aviditas famæ, ex scriptis editis, quærendæ, quæ me totum occupavit, nunquam omninò effecit, ut, rebus literariis toties improsperè gestis, exacerbato essem animo. Consuetudo mea studiosis simul et eruditis non displicuit, neque adolescentibus incau-

tis

tis etiam improvidiſque ingrata. Et cùm probarum fœminarum conſortione magnoperè delectarer, non eſt cur querar me ab illis malè fuiſſe acceptum. Ut verbo dicam, plerique hominum aliquo numero excellentes Calumniam conqueſti ſunt, et meritò; ego verò dente illius venenato non tantùm non læſus fui, ſed ne quidem impetitus; et quamvis me furori factionum civilium æquè ac ſacrarum ultrò obtuleram, tamen iſtæ ipſæ factiones, mei cauſâ, rabiem ſuam conſuetam depoſuiſſe videbantur, neque unquam amicis meis occaſio oblata eſt, ut æſtimationem meam, vel in re minima, tuerentur. Haud ſanè diſſimulandum *Zelotas* id unicè voluiſſe, ut in me crimina fingerent, et, ſparſis rumoribus, diſſeminarent; at nihil unquam deprehendere potuerunt quod, vel iis ipſis judicibus, ſimilitudinem veri præ ſe tuliſſet. Fateor equidem me paulò arrogantius egiſſe, habitâ ad hunc modum oratione meâ funebri, quanquam, ŭti ſpero, non ineptè, nam de rebus agitur quæ nullo negotio indagari atque definiri poſſint *."

1776. xiv. Kal. Maii. MDCCLXXVI.

* Languere videtur moribundi Humei peroratio. At non eſſet interpretis fidelis id vel celare vel corrigere. Obiit viii. Kal. Septembris, diarrhœâ extinctus. *Vid.* Adami Smithi, LL. D. *ad* Gulielmum Strahanum *Armigerum*, *Epiſtola*, p. 46.

(a Jeu d'Esprit ~~of~~ (by) Lord Hailes)

Adami Smithi L.L.D
ad
Gulielmum Strahanum, Armigerum
De rebus novissimis
Davidis Humei
Epistola
nunc primum Latinè reddita
1788.

SCripturus, STRAHANE, tibi, mî dulcis amice,
Lætor et indoleo, calamo mandare fideli — *chartæ*
Dum ſtudeo voces et geſta noviſſima, nobis
Dilecti multùm, multùmque merentis, HUMEI.
Quanquam viſceribus dudum perſpexerat æger
Virus ali, nec ſpem vitæ ſupereſſe futuræ,
Ceſſit amicorum precibus, fierique periclum
Maluit admonitus, poterint num longa viarum — *possent*
Aut lenire malum, aut progreſſus ſiſtere morbi.
Commentariolum *de vita* condidit *acta*
Ipſe *ſua*, patriâ mox diſceſſurus ab urbe,
Idque tuæ fidei, ſimul ac genus omne ſchedarum, — *simul et*
Commiſit; jamque hìc rerum mihi naſcitur ordo. ×
Eſt iter ingreſſus quando pluvialis Aprilis
Graminaque et flores Maio tradebat alendos;
Illâ Londoniis ego tempeſtate morabar,
Sed, deſiderio ſocii perculſus, abivi,
Conductis rapiendus equis atque axe citato,
Protenus in Scotiam; mecum Comes adſuit unà — *avolat*
Aptus amicitiæ officiis, animique benigni,
Huic eadem quoque cauſa viæ; fit et obvius ipſe — ××
Morpethi, nobis ~~ubi non ſperatus~~, HUMEUS. — *non expectatus*
Inde Comes, repetens veſtigia, fidus amico
Perque locos omnes et diverſoria ſemper
Hærebat lateri, et curas ſermone levabat.
Atque utinam, pars ipſe chori, conviva fuiſſem! — *sociusq[ue]*

Sed

×-Rerum inde mihi jam nascitur ordo

×× Cui par causa viæ; tum forte fit obvius ipse

N.B. The corrections are in Lord Hailes's own handwriting

Sed me religio, nulli cessura, coegit
Instaurare viam, patriosque revisere fines.
Namque ego de reditu nuper promissa parenti
Longævæ dederam scriptis sancita, neque illa
Stare ad Fifæi cessabat littoris oras
Opperiens gnatum maternis anxia curis.
Mutato cessit morbi violentia cœlo,
Membraque, continuis exercita cursibus, auctas
Sumere paulatim vires; hinc sanior illi
Visus Londoniis Habitus, quàm nuper Edinæ.
Conveniunt medici, Baias * vox omnibus una
Esse salutares, Baias migravit HUMEUS,
Potaturus *aquas*, queis commendaverat olim
Ipsa suum imperium domitrix HYGEIA malorum!
Principio, rerum facies jucunda *liquori*
Baiano famam dedit, ut jam credulus omen
Ipse videretur Reducis cœpisse Salutis.
Mox tamen indomiti exarsit vis pristina morbi,
Nota nimis; retrò tunc omnia visa referri,
Quæsitæque artes nocuere, et sparsa medentûm
Agmina fugerunt, nec profuit haustus *aquarum*.
× ~~Tunc spes vivendi, compostâ mente, rejecit,~~
~~Et se ducturum fatis commisit HUMEUS.~~
Inde lares repetit patrios, attritus, et ægro
Corpore debilior multùm, sed et integra mansit
Mens hilaris, morumque animus memor usque priorum.
Sæpe retractabat prius edita scripta, severo
Judice quæ curas poterant meruisse secundas,
Sæpe leves Sapientem oblectavere libelli.

* *Thermæ, apud Anglos, præcipui nominis, in provincia Somersettensi: ibi natio medicorum.*

Nunc

×Tunc spem vitæ omnem composito pectore, ... seq suis ultrò fatis subjecit Humeus

Nunc et, amicorum vario sermone, molestæ
Tœdia fallebat vitæ, nunc vespere sero
Ludebat, quod quondam illi florentibus annis
Delitiæ, nunc grande mali solamen, *Huistum* *.
Quin vultus hilares, et sermo comis, et idem
Servatus vitæ tenor ac prius esse solebat,
Fecerunt, quanquam mortis manifesta propinquæ
Indicia extarent, ut multi credere signis
Noluerint visis, doctusque Machaonis artes
Talibus aggressus fuerit ~~*Dundasus*~~ amicum.
" *Edmondstoneum* visurus rure Tribunum
" Omnia fausta feram, rabiem mitescere morbi,
" Teque tuis reddi." Contra respondit HUMEUS,
" Non ego te, *Dundase*, levem fictive tenacem
" Credebam, tu vera meo fer dicta sodali.
" Morte *citâ* morior, *lenique*, nec, ut reor, odit
" Si quis me, *citius* moriturum, nec quis amicus
" *Lenius* optaret." Modico post tempore venit
Edmondstoneus, sortem miseratus acerbam,
Dicturusque vale, &c.

Tunc ego, " te fractis, carissime, viribus ægrum
" Et video et vidisse dolet, jamque undique sævæ
" Apparent morbi facies, inimicaque nobis
" Omina; sed voces hilares, lætumque remissâ

* *Angl.* Whist.
Notus et Hesperiis, notus quoque lusus Eois,
Qui quid sit pulchrum, &c.

" Fronte

"Fronte ſupercilium, & vitalis ſpiritus auræ
"Acer adhuc, ſuadent aliquid ſperare ſecundi."
At ſapiens, "Pol me moribundum, Adame, vocares
"Nomina ſi rebus dare convenientia mavis: velles
"Altera jam morbo implicitum me detinet æſtas,
"Ille quidem, vegeti quamvis nunc corporis eſſem, quanquam quis essem
"Difficilis, ſenium gravat, haud ſanabilis ullâ
"Arte, *Diarrhœam* medici dixêre Pelaſgi.
"Membrorum virtutem horæ prædantur euntes,
"Senſi equidem, et ſedes inter vitalia fixit
"Dira valetudo, nec te ſpes lactet inanis,
"Adſtat ſumma dies"—"eſto ut ſis verus haruſpex,
"Quo lœteris habes; ſociis felicia cedunt
"Omnia, dives opum nec ab una parte beata
"Stat fraterna domus."
His ego vicinum morti ſolabar amicum.
"Jamdudum, hæc animo recolens," reſpondit Humeus,
"Perfuſum multâ ſenſi dulcedine pectus,
"Atque ubi *Luciâni* nuper legiſſe *Cataplum*
